

DISSERTATIO OCTAVA

DE AUCTORITATE ROMANI PONTIFICIS IN ORDINE AD CAETEROS
IPSIUS ADJUTORES, EXTRA CONGILIUM GENERALE

(Vide Bouix et canonistas : *de Episc. et Cong. Rom.*
— Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 1001... 1005. —
Bouix : *de Papa*, pars 5. — Brugère : *de Eccl.*,
n. 55, 56, 57 et append. VIII.)

429. Inquirendum est nunc de auctoritate Romani Pontificis in ordine ad caeteros ejus adjutores, qui bono regimini Ecclesiae immediate concurrunt, suntque : 1° episcopi, 2° congregationes Romanae, 3° ministri in variis terrarum partibus deputati. Circa quos quaeruntur sex :

QUESTIO I^a

An et quatenus jurisdictionis episcopalis adeptio a Romano Pontifice certo pendeat ?

430. Resp. Duplici ratione jurisdictionis episcopalis ad Pontificem Romanum refertur, ratione, scilicet, adeptionis et ratione exercitii. Quoad jurisdictionis episcopalis adeptionem, certum est hanc ab auctoritate Romani Pontificis pendere. Utrum vero sic pendeat quod ab eo, quasi a suo fonte, derivetur, vel potius immediate conferatur a Christo : haec quaestio, disputata apud Theologos, suam habebit solutionem infra ; nunc autem, ope trium conclusionum sequentium, explicandum est quomodo a Romano Pontifice certo pendeat jurisdictionis episcopalis.

431. Dico 1° : *Ad solum Papam, jure divino, pertinet electio et confirmatio episcoporum.*

Ita omnes contra Febronianos et quosdam Gallicanos, asserentes praefatum jus fuisse usurpatum, et posse episcopos, etiam invita sancta Sede, veterem restituere disciplinam, qua episcopi per metropolitanos instituebantur. At omnino dicendum est veterem hanc disciplinam, non nisi jure ecclesiastico et annuente Papa introductam esse, eo quod ita exigebant temporum difficultates, necnon necessitas Ecclesiam quantocius propagandi ; quae concessio, mutatis circumstantiis, sapienter fuit revocata, ut dicit Pius VI, in brevi Apost. 12 Apr. 1791.

Probatur sic : De fide est Papam habere, ex Christi institutione, jus episcopos per universum orbem instituendi. Atqui jus illud non potest, ex divina institutione, alteri competere.

Constat major : 1° *Concilio Trid.* (Sess. XXIII, can. 8) : « Si quis dixerit episcopos qui auctoritate « R. Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros « episcopos..., anathema sit. » At, si non ex divina sed humana institutione Papa haberet jus instituendi episcopos, illud jus amittere posset, ac proinde praefata definitio falsa posset evadere. — 2° *Natura primatus.* Est enim potestas R. Pontificis super universam Ecclesiam ordinaria et episcopalis. Atqui gaudens jurisdictione episcopali et ordinaria pastores inferiores instituere potest. — 3° *Praxi.* Saepius R. Pontifices episcopos in variis mundi regionibus ad regendas imo et fundandas ecclesias miserunt, idque faciendo non alia ratione ducti sunt quam obligatione sibi a Christo imposita hominum salutem procurandi, non enim

aliam allegare solent, et ita intelligunt omnes Christiani.

Constat minor : 1° Si alius independenter a Papa episcopos legitimos instituere posset, jam Papa non haberet supremam ac plenam jurisdictionem, neque primatus principatum. — 2° Insuper, hoc posito, plures dari possent in eadem ecclesia episcopi aequè legitimi, et quidem ex Christi voluntate ; hoc autem repugnat. 3° Illius solius est episcopos per universum orbem instituere, cujus potestas nullis locorum limitibus circumscribitur. Atqui solus Papa talem obtinet potestatem ; caeteri vero episcopi extra suam dioecesim jurisdictionem conferre nequeunt. — 4° Hodie R. Pontifices sibi jus instituendi episcopos reservant. At si, ex Christi ordinatione, alteri praefatum jus competeret, jam praevaluisset in Ecclesia disciplina generalis juris divini laesiva ; sed hoc est impossibile.

432. Dico 2° : *Ad Papam, jure divino, pertinet tum episcopis dare coadjutores, tum eos etiam invitos et nullius criminis reos, Sede sua privare, tum eos ad aliam Sedem transferre.*

Constat 1ª pars : Papa enim eo modo potest instituendis episcopis providere, quem judicat bono Ecclesiae necessarium et utile. Atqui nonnunquam utile et imo necessarium est ut episcopo detur coadjutor.

Constat 2ª pars : Non repugnat enim aliquando bono fidelium spirituali necessarium esse, ut episcopus, etiam invitus et nullius criminis reus, Sede sua privetur. Atqui certe Papa huic necessitati providere potest. — Probatur insuper ex facto Pii VII qui, inito concordato cum Gallia anno 1801, extinxit omnium imperii Gallicani episcoporum jurisdictionem, ut pro-

cederetur ad novam circumscriptionem dioeceseon. Illud autem factum, si paucos excipias, approbarunt totius orbis episcopi, qui non reclamarunt, et cum recenter institutis episcopis communionem servaverunt, eos uti legitimos habentes.

Constat 3ª pars : Translatio enim episcopi est modus exercendi potestatem instituendi episcopum, qui nonnunquam bono Ecclesiae necessarius est. Ergo jure divino soli Papae convenit hanc perficere.

Quibus autem conditionibus episcopi suis sedibus privari possent, aut ad alias Sedes transferri, vide apud canouistas disputatum, et speciatim apud Bouix. (De Episcopo, pars 3. t. I. p. 366 et 383.)

433. Dico 3° : *Ad Papam solum, jure divino, pertinet episcopatus erigere, eos in provincias ecclesiasticas distribuere, necnon extinguere.*

1° *Ad Papam solum spectat episcopatus erigere.* Novi episcopatus eriguntur per cathedrae episcopalis institutionem, et territorii circumscriptionem. Atqui hujusmodi causa tota respicit disciplinam ecclesiasticam. Ergo Papa, cui committitur disciplinae ecclesiasticae cura jure primatus, eodem jure dioeceseos erigit quo episcopos instituit. — Insuper, vel illa creatio fit determinando territorium nulli adhuc pastori subjectum, vel fit auferendo partem dioeceseos jam existentis. In primo casu, requiritur auctoritas se ubique terrarum porrigens ; et, in secundo casu, auctoritas superior episcopo cujus diocesis ita minuitur. Atqui, solus Papa jure divino habet auctoritatem ubique terrarum se porrigentem, et solus est jure divino quibuscumque episcopis superior.

2° *Ad Papam solum spectat episcopatus in pro-*

vincias distribuere. Nam ejusmodi distributio, bono Ecclesiae valde utilis, est actus habentis potestatem super omnes episcopos, inter quos sic statuitur inaequalitas et dependentia. Ergo jure divino ad solum Papam pertinet.

3^o *Ad solum Papam spectat episcopatus extinguere.* Id enim est quandoque Ecclesiae necessarium; ergo Papa id praestat jure divino; et quidem solus: quia solus jure divino episcopatus erigit, et est episcopis superior; et illius est episcopatus extinguere, cujus est erigere, et qui praestat auctoritate pastoribus quorum episcopatus extinguuntur. Hinc legitime Pius VII, inito Galliae concordato, imperii dioeceses penitus exstinxit cum suis titulis, juribus ac privilegiis.

QUAESTIO II^a

Utrum jurisdictio episcoporum a Papa derivetur,
aut a Christo immediate profluat?

434. Resp. Praenotandum est jurisdictionem episcopalem duplici sensu esse juris divini: 1^o quia, ex Christi voluntate, episcopi habent, una cum R. Pontifice, supremam auctoritatem in universam Ecclesiam, quoties cum illo collegialiter agunt, ut fit in conciliis generalibus; 2^o quia Papa, ex Christi etiam voluntate, tenetur Ecclesiam in varias dioeceses distribuere, quarum singulas episcopi ipsis praepositi, tanquam pastores ordinarii et proprio nomine, regant.

Sed, utrum duplex praedicta jurisdictio, sive *universalis*, quae ab episcopis collegialiter cum Papa agentibus exercetur, sive *particularis*, quam singuli in proprias dioeceses obtinent, a Christo immediate

defluat, an a R. Pontifice, variae fuerunt theologorum sententiae.

Circa jurisdictionem *universalem*, Bolgenius Jesuita, anno 1812 mortuus, qui fuit theologus sacrae Poenitentiariae, contendit hanc, jure divino, characteri episcopali esse annexam; unde omnes episcopi semel consecrati jus habent ut ad concilium generale convocentur.

Circa jurisdictionem *particularem*, nonnulli, inter Gallicanos praesertim, asseruerunt hanc conferri immediate a Christo; sed quo instanti? non concordant. Juxta quosdam, quando Papa assignat dioecesim, seu, ubi fit institutio canonica. Est igitur illa institutio mera conditio, qua posita, Deus dat jurisdictionem, sicut dat Papae electo, instanti electionis. Juxta alios, confertur a Deo jurisdictio episcopalis simul cum consecratione, sed est ligata, nec ad actum valide reducibilis, donec Papa assignaverit subditos per institutionem canonicam.

435. *Contra hos omnes dico 1^o: Episcopi, quatenus collegialiter sumuntur, non habent immediate a Christo jurisdictionem universalem.*

Ita communissime contra Bolgenium.

1^a *probatio*: Ea quae ad constitutionem Ecclesiae spectant, ab ejus initio nota esse debuerunt; omnis igitur doctrina circa hanc constitutionem, cujus nulum reperire est vestigium in veteribus doctoribus, ipsa sua novitate falsitatis arguitur. Atqui talis est doctrina Bolgenii modo memorata; nec enim ille aliquem citat auctorem, qui in ea defendenda aut etiam exponenda ipsi praeiverit.

2^a *probatio*: Sententia Bolgenii solido destituitur

fundamento. Fundatur enim in hoc quod collegium episcoporum Apostolorum collegio successerit. Sed tale fundamentum est prorsus insufficient. Singuli siquidem Apostoli a Christo receperunt jurisdictionem universalem, quam exercebant etiam singillatim sumpti, ita ut unusquisque ubique terrarum potuerit instituere episcopos, regere fideles et ministrare Sacramenta. Porro tale privilegium non transmittitur Apostolorum successoribus; unde episcopi non sub omni respectu Apostolis successerunt. Debuisset igitur Bolgenius ostendere ipsos esse Apostolorum successores, etiam quoad jurisdictionem universalem de qua nunc agitur, ita ut illam, collegialiter sumpti, immediate a Christo accipiant. Jam vero id a Bolgenio non ostenditur: non auctoritate, quae nulla allegatur; non ratione, quasi non sufficeret Papam, ubi collegialiter in docenda et regenda Ecclesia procedere intendit, in sui consortium vocare episcopos, eisque hanc jurisdictionem universalem impertiri.

3^a *probatio*: Valet contra Bolgenium argumentum in sequenti conclusione ex auctoritate afferendum, contra eos qui volunt jurisdictionem episcoporum *particularem* a Christo immediate oriri.

436. Dico 2^o: *Jurisdictio particularis, quam singuli episcopi in proprios greges habent, ipsis immediate a Papa et non a Christo confertur.*

Ita communissima hodie sententia, quae multo magis tum auctoritati, tum rationi congruit.

1^o *Multo melius congruit auctoritati.*

Etenim, spectata natura primatus, qualem exhibent Scriptura, concilia et Patres, R. Pontifex est fundamentum a quo oritur omnis soliditas, seu, omne robur,

ac proinde omnis auctoritas ecclesiastica; — est caput a quo procedit omnis influxus imperativus in corpore; — praeditus est auctoritate ordinaria et episcopali, seu, ejusdem generis ac ea vi cujus episcopi, in suis dioecesibus, impertiuntur aliis sacerdotibus jurisdictionem super varias gregis sui partes; — est *immediatus et proximus Vicarius Christi*, ut ait conc. Constantiense (Sess. VIII), ac proinde est canalis et instrumentum, quo Christus immediate et proxime utitur ad potestatem spiritualem caeteris communicandam; — est Episcopus episcoporum, Princeps sacerdotum, Pontifex universalis, Pastor pastorum, Caput capitum, quibus titulis passim apud Doctores decoratur; ac proinde ille est a quo episcopi omnes accipiunt potestatem regendi et docendi; — denique est verus Monarcha, ad quem ideo, sicut ad omnem monarcham proprie dictum, spectat caeteris rectoribus potestatem rectoriam communicare. Ergo nostra conclusio melius congruit auctoritati.

2^o *Eadem sententia melius congruit rationi.*

1^a *ratio*: Episcopis daretur a Christo jurisdictio vel simul cum consecratione, vel cum institutione canonica. Porro neutrum convenienter dicitur.

a) Non videtur conveniens eam dari simul cum consecratione. Nam cum jurisdictio sit relatio superioris ad inferiorem, seu, jus regendi subditos, non magis stare potest sine subditorum assignatione, quam relatio *sine termino ad quem*. At consecratio, *de se*, non est subditorum assignatio. Insuper, ad quid illa jurisdictionis collatio, siquidem ante institutionem canonicam, fatentibus adversariis, jurisdictio etiam divinitus data ita ligatur, ut non possit ad actum vali-

dum prorumpere ? Est ergo inutilis ; et eo magis inutilis quod ordinarie, in praxi, institutio canonica fit ante consecrationem, et, *de se*, omnem jurisdictionem necessariam tribuit.

b) Nec videtur conveniens jurisdictionem episcopalem divinitus dari instanti institutionis canonicae ; cum actus Papae aliquem canonice instituentis sit *de se* jurisdictionis collativus ; quo posito, jurisdictio inutiliter a Deo daretur.

2^a ratio : Si sententia contraria alicujus foret utilitatis, esset potissimum quia ex illa sequeretur, jurisdictionis episcopalis restrictiones a Papa factas sine causa, non valere. Atqui tale consecrarium non est necessarium. Non repugnat enim Deum ita dare jurisdictionem, quod non velit eam integram subsistere, quoties restringitur a Papa etiam sine causa ; sicut revera conferretur a Deo, juxta adversarios, jurisdictio episcopalis etiam indigno quem Papa, graviter peccando, institueret. Ergo fieri potest, etiam in sententia nobis contraria, omnes restrictiones Papales, quamvis illicite latas, esse validas proindeque servandas. Non est igitur necessarium consecrarium quod adversarii ex sua doctrina eruunt. Quinimo, gravis adest ratio praesumendi restrictiones Papales semper valere ; eo quod, secus, orta controversia de legitimitate rationis propter quam Papa jurisdictionem episcopalem restringit, nullus esset iudex qui solveret litem. Doctrina ergo quam nunc impugnamus nullius est utilitatis in praxi.

QUÆSTIO III^a

An et quo sensu episcopi per orbem dispersi, Romani Pontificis infallibilitati participant ?

437. Resp. Ratione exercitii, episcopalis jurisdictio ad R. Pontificis auctoritatem dupliciter refertur : 1^o quoad magisterium, prout episcopi in docendo Romani Pontificis infallibilitati participant ; 2^o quoad regimen, prout in regendo debitam servare tenentur ab illo dependentiam.

Agitur nunc de comparatione inter Papam et episcopos dispersos quoad magisterium, et illa quaestio quatuor absolvetur conclusionibus.

438. Dico 1^o : *Nulli episcoporum, praeter R. Pontificem, promissa est infallibilitas in docendo ; singuli tamen in sua dioecesi aliquam magisterii auctoritatem habent.*

Constat 1^a pars : tum ex defectu fundamenti ; tum historia : quot enim inter episcopos a fide misere defecerunt, etiam in sui magisterii exercitio !

Constat 2^a pars : Cum enim episcopi vere positi sint a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, et, ut tales, debeant oves pabulo doctrinae pascere, ipsis denegari non potest aliqua magisterii potestas.

At quia non sunt infallibiles, hinc eorum sententiae doctrinales non eodem modo obligant ac definitiones R. Pontificis. Papa, definiendo ex cathedra, exigit assensum internum, definitivum et irrevocabilem ; episcopus vero talem exigere nequit, sed ipsi debetur obsequium externum, et aliquo sensu internum, quamvis non definitivum nec irrevocabile, siquidem non

est supremus iudex, et ab ejus sententia ad Papam appellare licet. Attamen, quamdiu haec episcopi sententia non probatur falsa, juridice praesumendum est illam esse doctrinae catholicae conformem et veram; tum quia unusquisque, in iis quae cum auctoritate facit, praesumitur jure facere; tum quia, cum corpus episcoporum non possit a doctrina Petri recedere, ut judicemus aliquem particularem episcopum in magisterii exercitio ab ea discessisse, id probari debet; quoadusque ergo probatum fuerit, tenemur, opinando saltem ac propendendo, pro eo stare.

439. Dico 2^o: *Episcopi per orbem dispersi, modo Pontifici adhaereant, sunt infallibiles in docendo doctrinam ut ab omnibus tenendam.*

Etenim, corpus episcopale, etiam extra concilium, haberi debet veluti continuatio collegii Apostolici, modo Capiti suo jungatur. Atqui Christus corpori Apostolico specialiter promisit infallibilitatem doctrinalem, dicens: *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo* (Matth. xviii, 18); *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* (Matth. xxviii, 20); *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum* (Joan. xiv, 16). Ergo etiamsi Christus B. Petro separatim non dedisset esse in docendo infallibilem, hanc praerogativam in corpore episcoporum una cum R. Pontifice docente agnoscere teneremur; et hoc est ordinarium Ecclesiae magisterium, de quo sic conc. Vatic. (Sess. 3. c. 3.): « Porro fide divina « et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo « Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, « sive solemniter iudicio, sive ordinario et universali

« magisterio, tanquam divinitus revelata, credenda « proponuntur. »

440. Dico 3^o: *Certum est nunquam defecturos esse episcopos una cum R. Pontifice docentes, ita ut Ecclesia, quatenus ex hisce episcopis et eorum subditis coalescit, semper remaneat catholica.*

Sequitur evidenter ex Ecclesiae Romanae indefectibilitate, vi cuius nunquam desinet, et suas dotes essentielles a Christo acceptas semper conservabit; est enim Catholicitas una ex his essentialibus dotibus.

441. Dico 4^o: *Valde probabile est, ex episcopis pro tempore existentibus, semper majorem partem esse remansuram indefectibilem, in vera Christi doctrina, una cum R. Pontifice, et dependenter ab eo.*

Explicatur:

Sicut Papa est infallibilis, quia in docendo conformatur Capiti invisibili Christo a quo dependet; ita major episcoporum pars pro tempore existentium est infallibilis, quia in docendo conformatur R. Pontifici a quo dependet, imo quia non nisi dependenter ab eo docet. Et ideo, omnis doctrina quam episcopi in majori numero, ex episcopali officio, fidelibus credenda imperitive proponunt, aut quam permittunt proponi veluti pertinentem ad fidem obligatoriam, est certe doctrina quam R. Pontifex ipse auctoritative docet, nec necessarium est directe a Papa de hoc inquirere. Pariter, quoties R. Pontifex aliquid obligatorie credendum proponit, certum est quod episcoporum saltem majoritas, pro sua episcopali auctoritate, idem tenendum incunctanter docebunt.

Probatur.

1° Promissa est infallibilitas corpori episcopali; promissio autem in favorem cujusdam hominum collectionis facta, superveniente scissione, majorem hujusce collectionis partem sequitur.

2° Saepe Patres, ut dissidentes confutent, arguunt « ex multitudine episcoporum, qui, ut ait S. Basilius « (Ep. 204, n. 7.), nobis in toto terrarum orbe per « Domini gratiam conjuncti sunt ». Item eos exagitant ex eo quod, ut idem asserit (Lib. cont. Eunon. 2. n. 3.), « nolebant ex multitudine verum a falso de- « cerni ». Atqui non valeret illa argumentatio, si major pastorum numerus errare posset.

3° In hac sententia melius intelligitur episcopos esse fidei iudices, etiam definitivos; siquidem assensus eorum collectivus sufficiat ad litem de doctrina dirimendam, sicut decretum Papae sufficit. Lato Papali decreto, causa finita est, quia jam constat ita Christum docere, quin necesse sit Christum ipsum interrogare et audire. Sic, audita episcoporum parte majore, causa finita est; quia jam constat Papam ita docere, quin necesse sit Papam ipsum interrogare et audire.

4° In hac eadem sententia, quando Sedes Romana vacat, aut non habetur Papa certus, uti accidit durante magno schismate Occidentis, fideles tuto cognoscent, superveniente aliqua haeresi, ex qua parte stet veritas, nempe: ex magisterio majoris partis episcoporum. Haec quippe majoritas, centri et Capitis supplebit partes, aliquatenus saltem, infallibiliter praedicando articulos fidei obligatorios, quibus haeresis nova contradiceret.

Utrum vero haec majoritas infallibiliter praedicaret et definiret veritates nondum antea ut de fide obligatoria creditas, non audemus affirmare; sed probabiliter expectandus esset ad hoc Papa certus.

QUAESTIO IV^a

An et quomodo episcopi in regendo a R. Pontifice pendeant?

442. Resp. Dico 1°: *Nisi Papa contrarium indulserit, leges ab eo latae obligant absque episcoporum acceptatione.*

De decretis dogmaticis jam probatum est ea ante episcoporum acceptationem esse irreformabilia. Quaestio praesens spectat ad leges disciplinares. Quas urgere absque acceptatione episcoporum, satis patet ex natura ipsa primatus qui, ut dictum est, Papae confert super universos, tum fideles tum pastores, auctoritatem immediatam, supremam, plenam et numeris omnibus absolutam.

Dixi: *nisi contrarium indulserit.* Posset enim, ob speciales circumstantias, concedere ut suae leges non prius obligarent quam fuerint ab episcopis recognitae et acceptatae. Sed, ne talis facultas in animarum detrimentum vergat, solet Papa exigere ut episcopi legem non acceptantes, supplicationem ad illum mittant, in qua suas rationes exponendas curent, cum animo sanctae Sedis decisionem reverenter acceptandi et exsequendi.

443. Dico 2°: *Potest R. Pontifex, jure divino, ordinariam episcoporum jurisdictionem restringere, modo id fiat ex justa causa.*

Ita omnes, et sequitur ex potestate ligandi plena, quae ad rationem primatus essentialiter pertinet.

Dixi : *modo fiat ex justa causa*. Secus enim restrictio foret illicita. An autem invalida? Id affirmant qui volunt ordinariam episcoporum jurisdictionem a Christo immediate oriri. Quo in casu, asserunt episcopum posse tam valide quam licite ultra procedere, exercendo jurisdictionem divinitus episcopatu an nexam. Sed, ut diximus n. 436, tale consecrarium non videtur necessarium. Juxta alios vero theologos, qui omnem jurisdictionem ex Papa defluere contendunt, Pontificiae reservationes semper sunt validae.

Ex nostra thesi colliges :

1° Potest R. Pontifex sibi certorum casuum absolutionem reservare, ita ut nequidem episcopi ab eis valide absolvant, quamdiu viget reservatio. In quibusdam tamen casibus reservatio cessat, ut explicatur in tractatu de Poenitentia.

2° Potest R. Pontifex sibi certorum beneficiorum collationem reservare; quia illud quandoque bono Ecclesiae expedit; v. g. si ordinarii electores indignos assumere soleant.

3° Potest R. Pontifex nonnulla loca aut certas personas ab episcoporum jurisdictione eximere, ut ipsi immediate subjaceant; v. g. ad praecavendas vexationes ab alio Ordinario inferendas; ut communitas aliqua, puta Capitulum, a proprio superiore melius regatur; ut Congregationes Religiosae strictiori vinculo Romanae Sedi devinciantur, et liberius atque fructuosius in zeli operibus procedant, etc.

444. Dico 3° : *Omnes causae majores R. Pontifici reservantur.*

Causae majores illae dicuntur, quae notabilem prae se ferunt difficultatem, aut maximi momenti reputantur. Porro talium causarum R. Pontifici reservatio nititur praxi constanti Ecclesiae. Huic insuper suffragatur ratio; siquidem bono communi cujuslibet societatis necesse est ut hae causae deferantur ad supremi Principis tribunal. Et revera, R. Pontifex melius eas in Ecclesia cognoscere et judicare potest; quia uberioribus a Deo gratias accipit, doctiores viros solet consulere, et universalis Ecclesiae statum perfectius intropicit.

Inter causas majores, aliae ita R. Pontifici reservantur, ut caeteris quibuscumque auferatur jus eas juridice tractandi; aliae vero possunt quidem ab episcopis judicari, sed in prima instantia tantum, et non nisi per Papae sententiam definitive statuuntur.

Quaenam autem causae reputentur majores ad effectum reservationis, praeter eas quae tales sunt jure divino, non potest ad strictos apices et singulatum definiri, sed pendet ab usu recepto, a circumstantiis, et praesertim a Papae sententia. Sic causae majores reputantur: 1° conjugalia regum divortia, aut dispensatio in causa matrimoniali principum; 2° erectio Capitulorum, item Ordinis religiosi approbatio; 3° concessio Indulgentiae plenariae; 4° conventiones ineundae cum guberniis civilibus; 5° facultatum theologiarum institutio; 6° quaestio de collegiis mixtis, seu, an in tali loco permitti possit ut pueri catholici adeant collegia, quae etiam pueros acatholicos admittunt; 7° ratio providendi stipendio ac sustentationi ministrorum Ecclesiae, etc... De quibus vide canonicistas.

QUAESTIO V^a

An et quomodo Papa instituere possit Congrègationes pro negotiorum ecclesiasticorum expeditione?

445. Resp. Dico 1^o : *Habere potest R. Pontifex tribunalia permanentia, pro negotiorum expeditione quae ad ipsius forum deferuntur.*

Id enim moraliter necessarium est, propter innumerabiles et saepe difficiles causas ad Papam delatas, et quibus expediendis, se solo, non sufficeret. De caetero, id quotidie faciunt principes temporales pro negotiis civilibus et criminalibus; et, de facto, R. Pontifices plures instituerunt Congrègationes pro negotiorum varietate, varias.

446. Dico 2^o : *Papa Congrègationibus a se institutis concedere potest jus obligandi universos fideles; sed illa potestas per se nunquam est summa.*

1^a pars constat, quia Papae auctoritas est ordinaria, et potestas ordinaria semper exerceri potest per alios.

2^a pars constat, quia potestas sic communicata potestati Papae essentialiter subjecta est; qui eam minuere, certis adstringere conditionibus, ad certas materias limitare, vel etiam penitus extinguere potest.

447. Dico 3^o : *Papa non potest sacris Congrègationibus concedere, ut edant decreta doctrinalia irreformabilia, saltem absque speciali ipsius approbatione.*

Ita communiter contra Zaccaria Jesuita. Etenim, in

hoc infallibilitas Papalis consistit, quod Papa iudicando de veritate aut falsitate alicujus doctrinae errare nequeat. Sed Papa non iudicat nisi de doctrinis quarum cognitionem proprio intellectu est assecutus.

Dixi : *absque speciali ipsius approbatione.* Qualis autem requiratur ad hoc approbatio? Sane, ubi Papa ea decreta non approbaret tantum, sed sua faceret et suo proprio nomine promulgaret, totique Ecclesiae proponeret, jam forent ex cathedra certo prolata, et ideo irreformabilia. Quid vero si approbaverit ac publicari mandaverit, sed nomine tantum Congrègationis a qua prodierunt? Auctores non concordant. Ratio praecipua dubitandi est, quod Papa tunc loquatur potius ut Caput et praeses Congrègationis, quam ut Pastor Ecclesiae universalis, seseque accomodet naturae actus, qui profertur tanquam Congrègationis decretum, et non tanquam sententia supremi Doctoris. Et revera, quando R. Pontifex vult definire ex cathedra, alia via uti solet.

QUAESTIO VI^a

Utrum Papa ubique terrarum mittere possit ministros suae jurisdictionis?

448. Resp. Dico 1^o : *Pontifex R., jure divino, potest ubique terrarum mittere praedicatores, novasque fundare ecclesias.*

Ratio patet : Ad Papam enim spectat providere ut impleatur praeceptum Christi : *Praedicate Evangelium omni creaturae... Docete omnes gentes ;* aliunde solus Papa habet auctoritatem intra nullos regionum limites coangustatam.

449. Dico 2^o : *Pontifex R. potest, jure divino,*

ubique terrarum jurisdictionem exercere per ministros etiam stabiles.

Contrarium opinabantur Marcus Antonius de Dominis, Richerius, Febronius et alii, juxta quos Papa potest equidem in variis dioecesibus mittere ministros, per quos exerceat jurisdictionem, sed solummodo ad tempus, ob extraordinarium aliquem casum id remedium exposcentem; juxta eosdem igitur, non habet Papa jus mittendi legatos aut nuntios stabiles cum jurisdictione, et contrarius usus est usurpatio quae laedit ordinarium episcoporum regimen, et est de medio tollenda. Sed thesim supra positam tenent omnes Catholici, quam probant:

1^o Ex brevi Pii VI, *super Nuntiaturis*, anni 1789, in quo praefatum errorem omni studio profigat et damnat.

2^o Ex natura Primatus, quo Papae competit super universam Ecclesiam jurisdictio immediata, ordinaria, plena, summa, numeris omnibus absoluta.

3^o Ex praxi Ecclesiae. Longe enim ante falsas decretales, quibus adversarii praelaudati usum originem tribuere non erubescunt, Sedes Romana in variis mundi partibus consuevit habere ministros stabiles cum jurisdictione, quamvis non sub iisdem nominibus. Hodie autem eos Papa frequentius mittit et servat, et ubique reverenter accipiuntur.

DISSERTATIO NONA

DE ROMANI PONTIFICIS AUCTORITATE IN ORDINE AD CONCILIA GENERALIA

(Vide canonistas: *de Conciliis*. — Mazella: *de Rel. et Eccl.*, n. 1016... 1038; 957, 958; 978... 985; 993... 1000. — Bouix: *de Papa*, t. II, p. 345... 435, et t. II, p. 498... 690.)

450. Ultimo loco consideranda est auctoritas R. Pontificis in ordine ad concilia generalia. Et ideo, nonnullis praehabitis de natura et membris conciliorum generalium, statuendum erit quaenam sint, in hujusmodi conciliis, sive jura Pontificis Romani, sive auctoritas episcoporum, de quibus omnes concordant; dein, inquirendum veniet de praecellentia olim controversa Papae super concilium generale; demum, aliquid de conciliorum necessitate ac utilitate dicemus. Septem igitur erunt quaestiones:

QUESTIO I^a

Quid et quotuplex sit concilium, et quinam sint membra concilii generalis?

451. Resp. ad 1^{um}: Concilium definitur: *Coetus legitima auctoritate congregatus, ad tractanda negotia ecclesiastica, de quibus episcopi pronuntiant.*

Hinc concilium non est 1^o coetus in quo non adsint episcopi; nec 2^o coetus episcoporum, sed quorum finis praecipuus foret de rebus profanis tractandi;